



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

Quàm grande peccatum sit, apud S. Baptisma indignè apparere

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**



## Responsio.

**S** hæc precatio Catholica non est, quare igitur Daniel hunc in modum confessus est? *Ob peccata nostra, & ob iniquitatem Patrum nostrorum Hierusalem, & tuus populus ludibrio sunt omnibus vicinis nobis regionibus.* Daniel. 9. Et quare Dominus ipse minatus est; se vindicaturum iniquitatem Patrum, qui ipsum odio prosequuntur in filiis, in tertiam & quartam generationem, Exod. 20. Ex quibus dictis etiam D. Augustinus, qui tamen verè Catholicus doctor est, agnoscit hanc opinionem à Catholica fide non alienam. Cui neque illud repugnat, quod Dominus per Ezechielem loquitur, cap. 18. nempe quod filius non sit portaturus iniquitatem Patris. Idem enim loquitur de iusto filio, & huic iniuitas iniusti Patris. nihil nocebit, quemadmodum è contra filio iniusto iusti Patris iustitia non proderit. Infantes autem nondum renati, nec dum iustificati sunt, atque idcirco participes iniquitatis ac pœnarum suorum parentum, iuxta ipsius Domini comminationem. Quamobrem filij Israël, qui Patrum suorum impietatem fuerant imitati, & ipsi quoque iniusti atque impij euaserant, rectè per Hieremiam orant, *Patres nostri peccauerunt, & nos baiulamus iniquitates eorum.* Thren. 5. Forma igitur orandi pro paruulis nondum regeneratis, ne Deus illis imputet parentum suorum & totius populi peccata, à Scriptura non dissonat. Orationes igitur quæ in S. Scriptura habentur etiam coram Deo confitentur peccata regum suorum, Sacerdotum & totius populi, veniamque & remissionem eorum petunt.

Quartò reprehendunt etiam id quòd Liber affirmat, illos qui indignè adfiterint, ubi confertur Baptismus peccare æquè atque ij qui corpus & sanguinem Domini indignè tractant & sumunt. Quam comparisonem dicunt nusquam reperiri in S. Scripturis. Perinde ac si nihil apud illos valeat, nisi quod in S. Literis expressè docetur. Sat sciunt, quod quicquid ex S. Scriptura consequitur, id apud nos quoque valere debeat.

## Responsio.

**S** Scriptura docet, Baptisum esse incorporationem in Christum, se-  
pelitionem in mortem Christi, induitionem Christi: item quod Deus Pater, Filius, & Spiritus S. vnicus & æternus Deus sit, qui infantem baptizet. Iam qui indignè apud Sanctissimam hanc verèque diuinam actionem apparet, vtrum ille non perinde seipsum reum faciat mortis ac passionis Christi, læsæque maiestatis diuinæ, atque is qui corpus & sanguinem Domini sumit & tractat indignè, iudicium esto pene Christianos, qui Scripturæ credunt, & considerant quid Dominus Etā. 1. & 29. & Dominus, Matth. 15. & Psal. 50. de indigna apparitione & præsentia apud diuinorum verborum & Sacramentorum tractationem testantur.